

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. XIII - N. 1

1981

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

JUNIO 1981

Litterae Ioannis Pauli PP. II ad Periclem Card. Felici

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

I. *Litterae Apostolicae Motu Proprio datae*

Ad constituendum Pontificium Consilium pro Familia 3

II. *Allocutiones*

- | | |
|--|----|
| 1. Iis qui conventui italorum Iurisperitorum catholicorum Romae habito
interfuere: de contraria iuris et violentiae notione | 6 |
| 2. Ad Praelatos Auditores Sacrae Romanae Rotae ineunte anno iudiciali | 11 |
| 3. Ad S. Paenitentiariae Tribunal et Urbis basilicarum paenitentiarios:
de sacramentalis confessionis necessitate | 16 |

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

- | | |
|--|----|
| I. De modo procedendi in examine et resolutione petitionum quae
dispensationem a caelibatu respiciunt | 21 |
| II. Instructio de Baptismo parvulorum | 26 |
| III. Declaratio de canonica disciplina quae sub poena excommunicationis
vetat ne catholici nomen dent sectae Massonicae aliisque
eiusdem generis associationibus | 42 |

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in recognoscendis schematibus canonum

- | | |
|---|-----|
| I. Coetus specialis « De Lege Ecclesiae Fundamentali » | 44 |
| II. Coetus studiorum « De Populo Dei » | 111 |
| III. Coetus studiorum « De Institutis vitae consecratae per professionem
consiliorum evangelicorum » | 151 |
| IV. Coetus studiorum « De Sacramentis » | 211 |
| De Baptismo | 212 |
| De sanctissima Eucharistia | 233 |

DOCUMENTA

- Card. Praeses in Pont. Universitate Lateranensi orationem habet « Aequitas
romana et aequitas canonica » 246

- NOTITIAE 252

Mons. Segretario: Atteso che non contiene una prescrizione giuridica, ma una esortazione, propone di dire soltanto: « Superiores et sodales missionem et opera Instituti propria fideliter retineant ... ».

Il nono Consultore: Pensa che potrebbe essere troppo esigente l'obbligo di conservare tutte le « opere proprie », alcune potranno non essere più utili o convenienti in circostanze storiche diverse. (Altri Consultori sono in favore della conservazione di tale norma che assicura l'identità dei singoli Istituti, anche se non sono concetti equivalenti « missio Instituti » e « opera Instituti propria ». La norma peraltro va vista nel contesto più ampio dell'intero canone).

Si domanda ai Consultori se si debba:

- 1) Sopprimere la frase « quae ... pertinent » (placet 8).
- 2) Sopprimere la frase « prout ... receperunt » (placet 8).
- 3) Dire « missionem et opera Instituti propria » (placet 7).

Il testo così emendato sarà il § 1 del canone. Il § 2 corrisponde al testo sulle associazioni già approvato.

Riguardo all'ordine dei canoni del Titolo V, si approva il seguente: 58, 59, 60, 65, 66 (con 2 §§) e poi i canoni riguardanti i rapporti « Episcopi-religiosi ».

Si conclude così la 9^a sessione del Gruppo speciale di studio per la revisione dello schema « De Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum » (J. HERRANZ, *Attuario*).

IV

COETUS « DE SACRAMENTIS »

Praeside Cardinali Pericle Felici, moderante autem Exc.mo Rosalio I. Castillo Lara, Commissionis Secretario, Relatore Rev.mo Willelmo Onclin, Commissionis Secretario Adjuncto, Coetus specialis de Sacramentis (cf. *Communicationes*, 9, 1977, p. 323; 10, 1978, pp. 47-179) sessiones habuit diebus 13-18 martii 1978, et diebus 17-21 aprilis 1978, in quibus canones de sacramentis Baptismi et Eucharistiae (I pars) recognovit, iuxta animadversiones quae ab Organis consultationis prolatae sunt. Munere Actuarii functus est D. Marianus De Nicolò.

Conventus dd. 13-18 martii 1978

DE BAPTISMO

In primis Rev.mus Relator observationes generales ad canones de baptismō legit,¹ quaeque respiciunt schematis Tit. I divisionem, ordinem sacramentorum, ordinem dicendorum, formam ordinariam et breviorem administrationis, praeparationem ad admissionem ad baptismum, et alia.

- ¹ 1. Laudatur schema, quia magis iuridicum et clarius atque quia omittuntur canones qui casuisticam sapiunt.
- Laudatur etiam, quia praetermittitur baptismus *sub conditione* et simplicior est legislatio in casibus dubiis.
2. *Divisio* schematis requiritur diversa, scilicet ut in Libris liturgicis: Cap. I: De celebratione; Cap. II: De ministeriis et Officiis; Cap. III: De baptizandis; Cap. IV: De probatione et adnotatione collati baptismi.
3. *Ordo sacramentorum*. Ordo servandus est: Baptismus, Confessio, Eucharistia, Confirmatio, Matrimonium, Ordo sacer, Unctio infirmorum: est ordo receptionis.
4. *Ordo dicendorum*. Clare distinguantur etiam in Codice baptismus adultorum et baptismus infantum, ita ut separatae habeantur normae de iis circa ministrum, subiectum, ritus et caeremonias, patrinis, tempus et locum celebrationis.
5. *Forma ordinaria* et *forma brevior* pro baptismō, uti in liturgicis libris, distingui debent, non autem *sollemnior* et *simplicior*.
6. *De praeparatione ad baptismum* agendum est, scilicet de praeparatione, in qua explicatur significatio baptismi parentibus, patrinis et toti communitati locali.
7. *De admissione ad baptismum* norma dari debet, ut definiatur quinam sint responsables de admissione. Proponitur textus: «*Baptismus non conferatur nisi sub vigilantia eorum qui curam animarum in territorio exercent*».
8. *Unitas sacramentorum initiationis* est affirmanda.
9. *Mentio fieri debet de catechumenatu*, atque expressa indicatio itineris in eodem, necnon maior consideratio baptismi adultorum.
10. *Etiam baptismus regionalis vel dioecesanus* considerari debet. In schemate tantummodo quaestio est de ordinatione paroeciali. Requiritur ut, praesertim pro adultis, habeantur instantiae dioecesanae vel regionalis, cum centris specializatis ad hoc.
11. *Declaratio de validitate baptismi a protestantibus* celebrati requiritur.
12. *Canon sese referens ad fundamentalem relationem inter baptismum et Pascham* requiritur.
13. *Valor patrini certis in regionibus* est dubia. Melius est ut parentes filios ad baptismum praeresentent.
14. *Imprimis de baptismō adultorum*, deinde de baptismō infantum normae tradantur, quia pro adultis requiritur fides personalis.
15. *Multa supprimi possunt*: non requiritur ut de liturgia fiat sermo; relinquuntur Episcoporum Conferentiae illa quae non sunt iuris universalis; maxima libertas relinquatur iis qui actu participant in celebratione baptismi.
16. *Non satisfaciunt canones de subiecto baptismi*, quia perplexitates insolubiles generabunt illi canones, v.g. quoad baptismum amentium, monstrorum, intrauterinorum, etc.: incapaces putabuntur baptismi, et quidem immerito.
17. Requiritur ut obligatoria sit *celebratio communitaria* baptismi, extra casum exceptionis, secundum prudens iudicium parochi.
18. In celebratione baptismi, prohibetur usus machinae photographicae.

Deinde transitus fit ad recognitionem observationum quoad singula capita singulosque canones.

Can. 9 (CIC 737)²

§ 1. Baptismus, primum quidem omnium sacramentorum, quo homines indelebili charactere Christo configurantur atque Ecclesiae incorporantur, valide confertur tantummodo per ablutionem aquae verae cum debita verborum forma.

§ 2. Baptismus ministratur sive forma sollemniore, scilicet omnibus servatis ritibus et caeremoniis quae in probatis ritualibus libris praecipiuntur, sive forma simpliciore.

Ad § 1: Attentis iis quae in consultatione prolata sunt, Relator sequentem paravit textum:

Baptismus, sacramentum fidei et ianua ceterorum sacramentorum, in re vel saltem in voto ad salutem necessarius, quo homines a peccatis solvuntur, indelebili charactere Christo configurantur et Dei filii fiunt atque Ecclesiae incorporantur, valide confertur tantummodo per ablutionem aquae verae cum debita verborum forma.

Alicui Consultori superflua videtur expressio *fili Dei fiunt* et priusmittenda sunt verba *Ecclesiae incorporantur*, quia Ecclesia est res et sacramentum et prius quis in Ecclesia incorporatur. Ecclesia est sacramentale instrumentum ut quis ad salutem perveniat. Unus Consultor petit ut verba *sacramentum fidei* omittantur, quia omnia sacramenta sunt sacramenta fidei. Rev.mus Relator respondet ordinem dicendorum in canonem illum esse qui in textu Const. *Lumen Gentium* invenitur. Alius Consultor preeferret ut mentio prius fiat de incorporatione ad Ecclesiam, cum totus ordo systematicus Codicis sit in ordine ad Ecclesiam, et postea de peccatorum remissione, etsi in Conc. Tridentino prius sermo est de remissione peccatorum. Unus Consultor preefert ut retineatur expressio *sacramentum fidei*, quia agitur de expressione valde traditionali et baptismus revera est proprie sacramentum fidei. Et potius quam *solvare* a peccatis ipse mallet ut verbum *purificare* vel *liberare* utatur. Solvere a peccatis dicitur etiam de sacramento paenitentiae. Insuper melius est ut loco *ablutionem* dicatur *lavacrum*. Alter

² In textu a Relatore proposito can. 9 inveniebatur in capite Tituli, i.e. sub Capite I: De baptismo celebratione; sed conventum est ut res maneat prout erat in schemate typis edito.

Consultor petit ut idea paschatis mysterii introducatur. Aliqui Consultores animadvertisunt perfectam ideam mysterii paschalis haberi in tribus sacramentis initiationis christiana simul sumptis, et praesertim in SS.ma Eucharistia. Post varia conamina, textus qui probatur sic sonat:

Baptismus, ianua sacramentorum, in re vel saltem in voto ad salutem necessarius, quo homines a peccatis liberantur, in Dei filios regenerantur atque indelebili charactere Christo configurati Ecclesiae incorporantur, valide confertur tantummodo per lavacrum aquae verae cum debita verborum forma.

Ad § 2 (qui fit can. 10): Post disceptationem hoc modo probatur:

Baptismus ministratur secundum Ordinem in probatis liturgicis libris praescriptum, excepto casu necessitatis urgentis, in quo ea tantum observari debent quae ad validitatem sacramenti requiruntur.

CAPUT I

DE BAPTISMI CELEBRATIONE

Can. 10 (antea can. 9, § 2; cf. supra)

Ad ea quae in observationibus generalibus prolata sunt attendendo, Rev.mus Relator tenet hic inserendum esse canonem qui agat de catechumenatu et de obligationibus parentum, parochi aliorumque, qui erit can. 11 cuiusque textus est:

Can. 11 (additus)

Baptismi celebratio debite præparetur oportet itaque:

1) *adultus qui baptismum recipere intendit ad catechumenatum admittatur et, quatenus fieri possit, per varios gradus ad initiationem sacramentalem perducatur, secundum Ordinem initiationis ab Episcoporum Conferentia aptatum et peculiares normas ab eadem Episcoporum Conferentia editas;*

2) *infantis baptizandi parentes, quippe qui filium ad baptismum præsentent et eius nomine fidem profiteantur catholicam ideoque ad eundem christiane educandum officio tenentur, itemque qui munus patrini sunt suscepturi, de significatione huius sacramenti deque obligationibus cum eo cohaerentibus rite edoceantur; parochus, per se vel*

per alios, bunc in finem, eosdem parentes visitare studeat, immo vel plures adunet familias, ut ita pastoralibus monitionibus, immo et communi precatione, debite instruantur.

Ad n. 1: Placet, demptis verbis *Episcoporum Conferentia* post ab eadem.

Ad n. 2: Unus Consultor petit ut verba *et eius nomine ... profiteantur* deleantur, quia filii non sunt baptizandi in fide parentum vel Ecclesiae; parentes possunt etiam fidem non habere, sed cautiones praestare debent ut filii in religione catholica edacentur, uti saepe accidit in terris missionum. Etiam aliis Consultor tenet melius esse ut supprimantur illa verba. Et ad educationem quod attinet, idem Consultor proponit *ad eiusdem christianam educationem procurandam tenentur*. Disceptatione peracta, textus n. 2 qui probatur est sequens:

2) infantis ... praesentent et ad eiusdem educationem christianam procurandam tenentur, itemque ...; parochus per se vel per alios curet ut ita pastoralibus monitionibus, immo et communi precatione, debite parentes instruentur, plures adunans familias atque ubi fieri possit eas visitans.

* * *

Unus Consultor quaestionem movet *de ordine* dicendorum. Ipse mallet ut prius sermo instituatur de infantium et postea adulorum baptismo, contra eos qui infantium baptismum procrastinare intendunt. Respondet alter Consultor melius esse ut ordo propositus servetur, quia prius sermo instituendus est de praeparatione ad sacramenti receptionem.

* * *

Rev.mus Relator proponit ut heic inseratur norma quae statuat qui in iure nomine adulti veniunt et, disceptatione peracta, textus qui probatur est sequens et fit can. 12.

Can. 12

§ 1. Quae in canonibus de baptismo adulti habentur praescripta applicantur omnibus qui infantia egressi rationis usum assecuti sunt.

§ 2. Infantи assimilatur, etiam ad baptismum quod attinet, qui non est sui compos.

Can. 20 (qui fit 13) (CIC 756)

§ 1. *Proles ritu parentum baptizetur.*

§ 2. *Si alter parentum ad ritum latinum pertineat, alter ad aliquem ritum orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud iure speciali cautum sit.*

§ 3. *Si unus tantum parentum sit catholicus, proles ritu catholico baptizetur, secundum normas peculiares aut praescripta Episcoporum Conferentiae regionis.*

Visis animadversionibus hoc modo mutatur et probatur:

§ 1. *Adultus baptizatur ritu libere ab ipso electo.*

§ 2. *Infans baptizetur ritu parentum, nisi ob peculiares rationes parentes concordi voluntate alium ritum catholicum elegerint.*

§ 3. *Si unus tantum parentum sit catholicus, pars catholica omnia pro viribus faciat ut proles baptizetur ritu catholico, a parentibus, si fieri possit, concordi ratione electo.*

Can. 21 (qui fit 14) (CIC 757)

Extra casum necessitatis, baptismus ne conferatur nisi cum aqua ad hoc benedicta.

Aliquis Consultor censet canonem deleri posse, cui contradicit Rev.mus Relator, qui tenet servandum esse utpote materiam constitutu-
tem quae canonicam disciplinam respicit et non tantum materiam litur-
giae. Rev.mo Relatori assentiunt tres Consultores. Sese abstinet unus
Consultor. Textus probatus est sequens:

*Aqua in baptismo conferendo adhibenda, extra casum necessitatis,
benedicta sit oportet secundum librorum liturgicorum praescripta.*

Can. 22 (qui fit 15) (CIC 758)

*Baptismus conferri potest sive per infusionem sive per immersio-
nem, iuxta Episcoporum Conferentiae regionis praescripta.*

Visis animadversionibus Rev.mus Relator sequentem proponit
textum:

*Baptismus conferatur sive per immersionem, sive per infusionem,
sive per aspersionem, servatis Episcoporum Conferentiae praescriptis.*

Aliquis Consultor adnotat aequum non esse ut forma baptismi per aspersionem iuxtaponatur aliis modis baptizandi, quia aqua fluire debet. Unus Consultor animadvertisit agi de problemate complexo et praferret ut mentio de aspersione deleatur. Cui assentit etiam alias Consultor. Supprimitur igitur *sive per aspersionem*.

Can. 24 (qui fit 16) (CIC 761)

Curet parochus ut ei qui baptizatur non imponatur nomen a sensu christiano alienum.

Animadversionibus consideratis et disceptatione peracta, textus qui probatur est:

Curent parentes, patrini et parochus ut non imponatur nomen a sensu christiano alienum.

Can. 31 (qui fit 17) (CIC 772)

Licet baptismus quolibet die celebrari possit, serventur de hac re praescripta ab Episcopis Episcoporumve Conferentiis statuta.

Animadversionibus pree oculis habitis, Rev.mus Relator sequentem proponit textum:

Licet baptismus quolibet die celebrari possit, commendatur ut ordinarie die dominica aut, si fieri possit, in vigilia Paschatis, celebretur; ceterum serventur hac de re Episcoporum Conferentiae praescripta.

Textus placet, tamen, potentibus tribus Consultoribus, supprimitur expressio *ceterum serventur ... praescripta*.

Can. 32 (qui fit 18) (CIC 773)

§ 1. Proprius baptismi in forma sollemniore administrandi locus est ecclesia aut oratorium.

§ 2. Salvis iuribus quaesitis, pro regula habeatur ut infans in ecclesia paroeciali parentum baptizetur, nisi iusta causa aliud suadeat.

Consideratis iis quae in animadversionibus prolata sunt, textus qui a Relatore propositus est probatur:

§ 1. Extra casum necessitatis, proprius baptismi locus est ecclesia aut oratorium.

§ 2. Pro regula habeatur ut adultus baptizetur in ecclesia paroeciali sua habitationis atque infans in ecclesia paroeciali parentum propria, nisi iusta causa aliud suadeat.

Tamen, loco *habitationis* dicatur *commorationis*.

Can. 33 (qui fit 19) (CIC 774)

§ 1. Quaelibet ecclesia paroecialis baptismalem habeat fontem, salvo iure cumulativo aliis ecclesiis iam quae sit.

§ 2. Loci Ordinarius potest, pro fidelium commoditate, permettere vel iubere ut fons baptismalis habeatur etiam in alia ecclesia aut oratorio intra paroeciae fines.

Ad § 1: Placet. Textus § 2, propter animadversiones prolatas, sequenti modo probatur:

§ 2. Loci Ordinarius, auditu loci parocho, potest pro fidelium commoditate permettere aut iubere ut fons baptismalis habeatur etiam in alia ecclesia aut oratorio intra paroeciae fines.

Can. 34 (qui fit 20) (CIC 775)

Si ad ecclesiam paroecialem, aut ad aliam quae iure fontis baptismalis gaudeat, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo aut periculo, accedere aut transferri nequeat, baptismus forma sollempniore a parocho conferri potest et debet in alia proximiora ecclesia aut oratorio intra paroeciae fines, licet haec fonte baptismali careat.

Animadversionum causa, Rev.mus Relator sequentem proponit textum:

Si ad ecclesiam paroecialem aut ad aliam ecclesiam vel oratorium, de quo in can. 19, § 2, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo aut periculo, accedere vel transferri nequeat, baptismus a presbytero, diacono, immo vel catechista, conferri potest et debet in alia proximiora ecclesia vel oratorio, etiam si fonte baptismali careat, monito quidem ecclesiae oratoriive rectore.

Unus Consultor petit ut adiungatur *aut* alio loco decenti, prae oculis habitis necessitatibus territorii missionum. Secretarius petiit ut verba *aut* periculo et *a* presbytero, diacono, catechista supprimantur, et dicatur tantum *conferri potest*. Tertius Consultor proponit ut verba *etsi* fonte baptismali careat ... supprimantur, quia aqua pro baptismo etiam in actu ritus benedici potest. Emendationes supradictae accipiuntur, et textus probatus sic sonat:

Si ad ecclesiam paroecialem aut ad aliam ecclesiam vel oratorium, de quo in can. 19, § 2, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo accedere vel transferri nequeat, bapti-

smus conferri potest et debet in alia proximiore ecclesia vel oratorio aut etiam alio in loco decenti.

Can. 35 (qui fit 21) (CIC 776)

Praeter casum necessitatis baptismus ne conferatur in domibus privatis, nisi Ordinarius loci iusta de causa id permiserit.

Consideratis animadversionibus, Rev.mus Relator sequentem proponit textum:

§ 1. Praeter casum necessitatis, baptismus ne conferatur in domibus privatis, nisi loci Ordinarius gravi de causa id permiserit.

§ 2. In valetudinariis, nisi aliter loci Ordinarius statuerit, baptismus ne celebretur, nisi in casu necessitatis vel alia ratione pastorali cogente.

Ad § 1: Loco gravi dicatur *iusta*. Unus Consultor preferret ut textus insisteret quoad administrationem baptismi in communitate paroeciali. Placet § 2.

Can. 23 (qui fit 22) (CIC 759)

Infans extra ecclesiam baptizatus, congruo tempore ad ecclesiam deferatur ut in eadem praesentetur.

Animadversionum causa, Rev.mus Relator sequentem proponit textum:

Qui extra ecclesiam aut oratorium baptizatus est, si est adultus, opportuno tempore, ad ecclesiam accedat ut in ipsa communitate ecclesiali recipiatur atque rite præparetur ut alia sacramenta initiationis recipiat; si est infans, congruo tempore a parentibus ad ecclesiam deferatur ut in eadem praesentetur.

Disceptatione peracta, omnes Consultores, uno excepto, cui valde placet ut sermo instituatur de insertione in communitate christiana, suffragium dant ut canon deleatur utpote non necessarius, quia ea quae ibi dicuntur, iam alibi continentur.

CAPUT II
DE BAPTISMI MINISTRO

Can. 10 (qui fit 22) (CIC 738)

§ 1. Minister ordinarius baptismi est sacerdos aut diaconus, salvo quidem iure parochorum.

§ 2. Absente aut impedito sacerdote et diacono, licite baptismum confert catechista, immo in casu necessitatis quilibet homo.

Animadversionibus consideratis, Rev.mus Relator textum sequentem proponit:

§ 1. Minister ordinarius baptismi est Episcopus, presbyter et diaconus, firmo praescripto can. 363 (de Populo Dei).

§ 2. Absente aut impedito sacerdote et diacono, licite, breviore quidem forma, baptismum confert qui ad ministerium acolytathus vel lectoratus est admissus itemque catechista, immo, in casu necessitatis, quilibet homo debita intentione motus; solliciti sint animarum pastores, praesertim parochus, ut christifideles de recto baptizando modo edoceantur.

Ad § 1: Alicui Consultori minime placet ut in ministri definitione inducatur figura parochi etsi per referentiam ad can. 363. Cui contradicit Rev.mus Relator et textus probatur prouti iacet.

Ad § 2: Unus Consultor petit ut verba *diacono, catechista ... tollantur et eorum loco dicatur qui hoc munere fungitur, vel ille cui ab Ordinario commissa est cura illarum animarum.*

In fine disceptationis convenit ut mentio catechistae relinquatur et Rev.mus Relator proponit ut dicatur *catechista aliusve ad hoc munus ab Ordinario deputatus, immo ...*

Can. 11 (qui fit 23) (CIC 739)

In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum solemniore forma conferre, ne quidem sui loci incolis.

Rev.mus Relator textum sequentem proponit, attentis iis quae in consultatione prolata sunt:

Excepto casu necessitatis, nemini licet, sine debita licentia, in aliena paroecia baptismum conferre, ne quidem suis incolis.

Textus placet, sed loco *paroecia* dicatur *in alieno territorio*. Haec limitatio ad proprium territorium servatur (quod factum non est pro administratione confirmationis) praecise ut certitudini inscriptionis in libro baptizatorum consulatur.

Can. 12 (qui fit 24) (CIC 744)

Adultorum baptismus, ubi commode id fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si id expedire iudicaverit, ab ipso aut ab eius delegato sollemnius conferatur.

Sequentem textum proposuit Rev.mus Relator post expensionem animadversionum in consultatione prolatarum:

Baptismus eorum qui maiores sunt sedecim annis, ad Episcopum deferatur ut si possit et expedire iudicaverit, ab ipso aut eius delegato conferatur.

Duo Consultores animadvertisunt melius esse canonem delere, cum suppressus sit sermo de forma sollemniori celebrationis baptismi, ad quam canon praecise se refert. Hac de causa canon amplius non sustinetur. Unus Consultor, e contra, tenet normam servandam esse quia convenit ut ipse Episcopus, qui personam gerit Ecclesiae particularis, adultum in Ecclesia recipiat. Alter Consultor censem quod Episcopi fere semper delegant pro his actibus ideoque sufficeret norma quae in can. 23 invenitur; et de se differentia non adest inter receptionem in Ecclesia adulti vel infantis. Disceptatione peracta, textus qui probatur est sequens:

Baptismus eorum qui maiores sunt sedecim annis, ad Episcopum deferatur ut, si expedire iudicaverit, ab ipso conferatur.

CAPUT III DE BAPTIZANDIS

Can. 13 (qui fit 25) (CIC 745)

Baptismi recipiendi capax est omnis et solum homo nondum baptizatus.

Probatur textus prout iacet, dempto verbo *recipiendi*, consideratis etiam animadversionibus prolatis in consultatione.

Can. 17 (qui fit 26) (CIC 752)

§ 1. *Ut adultus baptizari possit, requiritur voluntatem suam baptismum recipiendi manifestet et sufficienter fidei veritatibus sit instructus.*

§ 2. *Adultus qui in periculo mortis versatur baptizari potest, si quam de praecipuis fidei veritatibus habeat cognitionem et quovis modo intentionem suam baptismum recipiendi manifestaverit.*

Visis animadversionibus ab Organis consultationis, probatur textus a Rev.mo Relatore propositus:

§ 1. *Ut adultus baptizari possit, requiritur voluntatem suam baptismum recipiendi manifestaverit et de fidei veritatibus officiisque christianis sufficienter sit instructus (atque in vita christiana per catechumenatum ad normam iuris peractum sit iniciatus); admoneatur etiam ut de peccatis suis doleat.*

§ 2. *Adultus qui in periculo mortis versatur baptizari potest, si aliquam de praecipuis fidei veritatibus cognitionem habens quovis modo intentionem suam baptismum recipiendi manifestaverit et promittat se christianaee religionis mandata servaturum.*

Tamen in § 1 tolluntur unci *atque in vita ... sit iniciatus;* delentur verba *ad normam iuris peractum,* et loco *iniciatus* dicitur *probatus.*

Can. 18 (qui fit 27) (novus)

§ 1. *In praeparando adulto qui baptismum recipere intendit, serventur peculiaria praescripta a competenti auctoritate edita.*

§ 2. *Adultus qui baptizatur, nisi gravis obstet ratio, statim post receptum baptismum confirmetur, atque, quatenus fieri possit, celebrationem eucharisticam participet.*

Cadit § 1 cum de catechumenatu iam antecedenter actum est et, consideratis animadversionibus consultationis, textus paulisper immutatur prout sequitur:

Adultus qui baptizatur, nisi iusta obstet ratio, statim post baptismum confirmetur atque, quatenus fieri possit, celebrationem eucharisticam communionem etiam recipiens participet.

Placet, demptis verbis *quatenus fieri possit.*

Can. 16 (qui fit 28) (CIC 750)

§ 1. *Ut infans licite baptizetur, oportet:*

- 1) *spes habeatur fundata eum in religione catholica educatum iri;*
- 2) *parentes, saltem eorum unus, aut qui legitime eorundem locum tenent, consentiant.*

§ 2. *Infans, sive parentum catholicorum sive etiam non catholicorum, qui in eo versetur vitae discriminis ut prudenter praevideatur moriturus antequam usum rationis attingat, licite baptizatur, dummodo non sint expresse contrarii ambo parentes aut qui legitime eorundem locum tenent.*

Hic canon, consideratis animadversionibus, a Rev.mo Relatore in duobus distinctis canonibus redactus est: quorum primus textus est:

§ 1. *Parentes obligatione tenentur curandi ut infantes quamprimum baptizentur sine mora post nativitatem, immo iam ante eam, parochum adeant ut sacramentum pro filio petant et debite ad illud praeparentur.*

§ 2. *Si deficiat debita parentum ad baptismum praeparatio, celebratio baptismi remittatur et parentes de eo moneantur.*

Ad § 1: Aliquis Consultor animadvertisit paragraphi formulationem Ordini liturgico baptismi contradicere; est enim ratio ut aliqua dilatio in baptismo administrando permittatur. Rev.mus Relator proponit ut dicatur *quamprimum*, sed plerique Consultores proponunt ut dicatur *intra priores hebdomadas*. In fine tamen disceptationis loco *sine mora* dicitur *quamprimum*.

Ad § 2: Proponente uno Consultore, placet omnibus ut textus huius § supprimatur et eius loco dicatur: *Si infans in periculo mortis versetur, sine ulla mora baptizetur.*

Textus alterius canonis (ex can. 16 redacti et qui fit 29) a Rev.mo Relatore propositus sequens est:

§ 1. *Ut infans licite baptizetur oportet:*

- 1) *parentes, saltem eorum unus, aut qui legitime eorundem locum tenet consentiant;*
- 2) *spes habeatur fundata eum in religione catholica educatum iri; talis spes si revera deficiat, baptismus remittatur, monitis de ratione parentibus.*

§ 2. Infans parentum catholicorum, immo et non catholicorum, qui in eo versatur vitae discrimine ut prudenter praevideatur moriturus antequam rationis usum attingat, licite baptizatur, nisi ambo parentes sint expresse contrarii et periculum odii in religionem habeatur.

Placent nn. 1 et 2 § 1, etsi secundum sententiam unius Consultoris iudicium existentiae illius spei causa esset ut baptismum diutius differatur. Bonum non est dare locum arbitrio.

Ad § 2: Idem Consultor proponit ut in alio canone, duabus constante paragraphis, sermo instituatur in § 1 de pueris qui in mortis periculo versantur, sed filii catholicorum; et in § 2 de filiis acatholicon agatur.

Unus Consultor contrarium sese declarat huic propositioni, sed disceptatione peracta, opportunum visum est in canone praecedenti § 2 textum suppeditare qui praecise de infanti in periculo mortis versanti agat. Idem Consultor petit ut verbum *catholicorum* supprimatur quia non est ad rem, sed contradicunt duo Consultores qui instant ut remaneat. Res ad suffragium submittitur et 4 Consultores stant pro textu servando, 4 Consultores, e contra, stant pro suppressione. Ergo, stante paritate suffragiorum, praevalet textus, ideoque *catholicorum* servatur. Textus itaque probatus sequens est:

§ 2. Infans parentum ... licite baptizatur, etiam invitis parentibus, nisi exinde periculum exurgat odii in religionem.

Can. 15 (qui fit 30) (CIC 749)

Infans expositus aut inventus nisi, re diligenter investigata, de eius baptismo constet, baptizetur.

Placet.

Can. 14 (qui fit 31) (CIC 747)

Fetus abortivi, si vivant, quantum id fieri possit, baptizentur.

Placet.

Conventus dd. 17-21 aprilis 1978 habitu

Ineunte sessione aliquis Consultor quaestionem de irregularitate, in anteacta sessione disceptatam (cf. *Communicationes*, 10, 1978, p. 195 sq.), movet. Iuxta eiusdem Consultoris sententiam, cum di-